



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Ratisbonam repetit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

non possit: cum, vbi cetera destituunt, ipsa sibi sit  
pretio.

Maturandi redditus causa fuit Ratisbonensis conuētus; vbi, si de religione ageretur, quod quidem mouendum in præsens nullo modo censebat Canisius: verūm, si prohiberi nō posset, apud se decretum habebat impiorum conatibus, quo stragem minorem ederent, & operam, & vitam suam opponere. Quippe & bellum quod inter Pontificem, & Regem Philippum in Italia gerebatur, præcipitatem iam in Germania religionem haud leuiter impellebat. In redditu transiens OEniponto surgētem vidit præclari ædificij mollem, quod Ferdinandus Rex Societatis Collegio destinabat. Inde progressus Dilingam ad Cardinalem Augustanum, exceptusque fraternalis planè animis, quosdam antiquos libros Ratisbonensi conuentui admodum accommodatos, calcho-graphis typis euulgauit. Sub ea Ingolstadianos reuisit socios, & aliquandiu aduersa valetudine conflictatus est. Quæ vbi primum permisit, Ratisbonam recurrit: modesteq; Cardinalis Othonis, qui præiuerat, recusato hospitio, religiosæ simplicitatis studio, & maioris otij causa ad res anima-

Reuertitur  
in Germaniam.

animarum tractandas, priuata domo à Canonis oblata contentus, illico reddidit se suggestus sacro quoq; die, perque Domini aduentum ter hebdomada perorabat. Audiebatur cupide omnibus, ac præcipue à Presulibus sacris, qui nos solum incendebantur ad defensionem prisci, germaniq; cultus, sed etiam de Societate bonam istimationem hauriebant, & in Diœcesibus suorum domicilia ei meditabantur. Rex Colloquio de religione aditum aperuerat, perinuito sane Canisio, nihil boni sperandum clamante per Colloquia quocunque modo fierent: nec leue incommodum metuendum quicquid de religionem

*Non probat  
secularibus  
agi de Reli-  
gione.* tingeretur, non autore Romano Pontifice. Ita contra eam rem grauem, ac doctam lucubrationem edidit: Episcoposque, ut omni ope resistere confirmauit. Optimam Ferdinandi mentem in summas compellebant angustias maximi aduersus Austriam Turcarum apparatus, & Hæretico rum impia pertinacia: qui, ut supra de Bauaris narrabamus, & seditiones omnium, ac turbulentorum mos est, Reipublicæ tempestates tempora sua rati, nisi extorquerent, quod ad propagandam impietatis rabide appetebant, Regi subsidia

in